

COMITATUS  
MARCHIA  
ET  
RAVENSBERG.



Omitatus Marchiæ, nec non Ducatus Montensis, vetus creditur fuisse Vbiorum sedes. Comites de Altena, hoc titulo contenti fuere ad tempora usque Adolphi, filii Frederici Comitis de Altena & Montis: qui

*Vbi.*

*Comites.*

*Vbes.*

*Tremonia.*

postquam Marchiam adeptus esset, se Comitem Marchiæ dixit, assumtis ejus insignibus. quod accidit anno 1053, tempore Wachmanni Comitis Cliviæ. Comitatus hic Westphaliæ amplissimus est, à Lippiæ amnis ripa versus occasum excurrens, oppida habens Hammonem, Vnnam, Susatum, Tremoniam, Werdenam, aliaque. Tremonia, vulgo *Dortmund*, Witikindum Trotmannia dicta fuit. Est autem vetus hæc Saxoniam Occidentalem, quam Westfaliam vocant, civitas, ex numero Imperialium, fuitque olim juris Comitatus. Inicia urbis referuntur ad Carolum cognomento Magnum, qui hic, dum Witikindum & Saxones bello premeret, ductus loci fertilitate & amœnitate, consedisse dicitur, cujus rei memoria est in agris, quos vocant *Rödingshoff's-landt* & *Reichs-hofen*. Fertur enim Collegium illic instituisse Canonorum, cum templo S. Pantaleoni consecrato, quod Hanno Archiepiscopus Colonienfis transtulit Agrippinam, inseruitque Ecclesiæ B. Virginis ad gradus, templi Pantaleonis titulo mutato in titulum S. Reinoldi. Extructa sunt autem postea à Comitibus & Præfectis (Borchmanni dicuntur) etiam alia aliquot templa, inter quæ illud eminet, quod B. Martini dicitur: additaque sunt etiam cœnobia Franciscanorum & Dominicanorum, cum xenodochiis & nosocomiis amplissimis. Mansit autem urbis istius, ut & totius Westphaliæ, jus in posteritate Caroli, ad Arnulphum usque Cæsarem: à quo ad generum ejus Ottonem Saxonem, atque inde ad Henricum Aucupem pervenit, quo imperante Hunni hæc loca depopulati sunt. Ac repressit quidem illos tunc Henricus, ut poruit, sed facta manu postea reversi, deleti sunt anno 937, sub ipsis hujus urbis mœnibus. Exstat hodieque ad latus urbis Septentrionale fons, quem ab Hunnis vocant *Hunnorum aquationem, die Hunnen drenck*. Constat quoque Henricum secundum cum uxore

*Germania.*

sua Kunigunda celebres in hac urbe Imperii conventus anno 1015 agitasse, in quibus Padisbornensis Episcopus Meinwercus matrem suam accusavit, quod filium suum, Meinwerci fratrem occidisset. Fredericum quoque Barbarossam aliquandiu in eadem commoratum esse, testantur non tantum Annales Monasterienses, sed ipsæ quoque locorum quorundam appellationes. Anno 1297 magnam passa est urbs ex incendio calamitatem: absumptis flamma omnibus privatis publicisque ædificiis. In cujus damni solatium Imperatores consistorium dirimendis per Imperium litibus hic esse voluerunt, & nundinas indixerunt annales, & ipsi domos varias extruxerunt. Etsi vero Comitatus Tremonienfis ex sola Imperatorum beneficentia antiquitus penderet, tamen ex quo à domo Saxonica Imperii dignitas translata fuit, Cæsaresque rarius in Westfalia versati sunt, hæreditarius esse cœpit, ea ratione, ut Comitum successores feudi nomine eum ab Imperatore acciperent. Sed mediam sui juris partem Comites postea in Senatum hujus urbis transtulerunt, fuitque diu admodum divisa jurisdictio: donec Ioannes Steckius, ad quem Comitatus hæreditario jure delapsus fuerat, suam quoque partem cum plena gladii potestate in Senatum contulit. Eam translationem Maximilianus anno 1504 regio suo diplomate confirmavit, ratamque habuit. Fuit autem antiquis moribus receptum, ut Consules, feudum ab Imperatore postulantes, complicatis manibus, flexo poplite, osculum genæ Imperatoris figerent, qui mos abiit in desuetudinem. Itaque Carolus quintus anno 1520 Hildebrando de Swartzen solita juramenta præstanti Comitatum istum sine illa ceremonia tradidit. Ferdinandus quoque Dietmaro à Berswerde, Maximilianus secundus Lamperto Dietmari filio eundem Comitatum sub concepta verborum formula tradidere. Senatus igitur hac ratione per urbem & Comitatum universum absoluta potestate utitur. Prætozem urbanum dirimendis quotidianis litibus ipse constituit, ceteraque disponit, quæ liberæ civitates optimo jure disponere solent.

*Susatum, Soest*, urbs opulentissima amplissimaque est, decem populosis distincta parœciis. Primæva fundatione castrum seu præfecturam fuisse perhibent, quæ in tantam successu temporis urbem excreverit; indeque Susati natam

N n

appel-